

DEDICATORIA.

forensis eloquentiæ, quam *caninam* veteres *facundiam*,
 Isidoro teste, scitè vocitabant, sed veræ & genuinæ stu- *Cicer. de*
 diofi sitis, *qua grandis est verbis, sapiens sententiis, genere to- Clar. Orat.*
 to *gravis. Ille benè loquendi facundiam percipit, qui sinum cor-*
dis per rectè vivendi studia extendit, ait 6. Moral. Greg. E- *L. 2. de ani-*
loquentia verò in homine pravo, venenum est. Aug. in pocu- *ma.*
lo aureo. Quo in casu satius multò & melius ex duobus,
 B. Hieronymi iudicio, foret *rusticitatem habere sanctam,*
quam eloquentiam peccatricem. De parentum vestrorum
 honoratissimorum dignitate & meritis nil jam refe-
 ram, cum illa Illustrissimis nostris Principibus, in præ-
 lustrium officiorum ac munerum tam Ecclesiastico-
 rum quàm politicorum, quæ laudabiliter in hunc usq;
 diem sustinuerunt, administratione, multis ab hinc
 annis sint commendatissima. Hoc dicam, extitisse an-
 tehac eorundem etiam in me merita non vulgaria sed
 eximia, ingratissemus igitur essem, si tacito eadem ore
 præterirem. At *vereor.* ut de suo hoc mihi largiatur Co-
 micus, *coram in os laudare ipsos amplius, ne id assentari ma-*
gis, quam quod habeam gratum facere existiment.

*Terent. in
Adelph.*

*Dii ipsis, si qua pios respectant numia, si quid
 Usquam justitia est, & mens sibi consciarecti;
 Premia digna ferant. ———*

Æneid. I.

Gratissimum tamen & hoc ipsis fore autumo, si qua-
 lem cunque meam affectionem in vos, & sanguinis &
 nominis & virtutis & possessionis avitæ ac patritæ hæ-
 redes, benevolentem declarem. Valere interim, adolescen-
 tes doctissimi, parentum honestam de vobis conce-
 ptam spem explete, hocq; munusculum à præceptore
 salutis & honoris vestri cupido hilari ac serena fronte
 accipite. Scrib. Butzbaci quò ad pestem concesseram, d.
 August. 25. ANNO 1613.

Vestri

Studios.

Cunradus Dieterich/ SS. Theolog. D.
 Ecclesiæ Ulmenis Pastor & Su-
 perintendens.

Ad